

bus . . . Novi Raphaellem a Turri . . . in Finarienses Marchiones . . . iniquiorem vetustiori cuiusdam genti subdidisse eundem Marchionatum . . . Guichenonem . . . deceptum ne dicam pro Anselmo Thetis filio . . . legisse Authbertum facili errore in confusione, nexibusque litterarum, quibus scatent vetera monumenta, & in quibus non semel erravit Guichenonius, doluitque nuper tantam ejusdem in describendis vel ipsis marmoribus socordiam in insigni suo The-
sauro veterum inscriptionum Muratorius? *Hactenus Brichierius. At oportebat in medium afferre ubi, & quibus in locis Guichenonius erraverit, non aliorum testimonio niti præcipue in re ab hac, de qua agimus admodum dissimili. Quantum ego video, novi illum potius in assignatione temporis lapsus, quam in nominum scriptione. Sic donatio Adalais monasterio de Novalicio, quam in probationibus genealogiæ Ducum Sabaudia pag. 8. refert hoc modo: MXXXIX. indictione I. epacta IV. XVII. Kal. aug. pertinet ad annum MLXXVIII. Item Diploma positum sub anno DCCCCXXXVIII. in bibliotheca Sebus. Cent. I. n. 83. anno DCCCCXXXV. assignari debuerat. Sed cur alio vagamur ad hujus rei petenda probationis argumenta; cum hoc quod manibus versamus documentum haud leve in Chronologicis notis erratum offerat legentibus? Quis enim est, qui indictionem cum anno Incarnationis componere possit? Indictio XV. incidit in annum 1047. 1062. 1077. neutiquam in annum 1071., ut ipse affirmat. At ubi error latebit? in anno, an indictione? puto in anno. Facile enim fuit unitatem in numerum X. convertere. Quare censeo ibi legendum MLXII., quæ emendatio eo probabilior mihi videtur, quo plus numeris, ac notis par-
citur. Epoca utcumque ad veram lectionem redacta, superest, ut nonnullas alias correctiones, quæ meditati occurrerunt, iis, quas ad calcem documentum rejeceram, adjungam; sic lin. 36. consuetudo quidem legerem consuetudo. Quidem lin. 39. tentaverimus, tunc imponamus auri l. tentaverimus, hinc inferamus auri lin. 44. ei relicta l. eique relicta est Testes &c. lin. 45. Daniel, Judex l. Daniel Judex. Quis vero fuerit iste Authbertus in originibus historicis Marchionum Aledramicæ familiæ, quas jam prælo paratas habeo explicare conabor. Siquis vero in antecessum illud scire percipiat, facile hoc ipsi erit detegere, modo documenta superius exposita evolvat. Sic in charta n. 15. col. 25. inveniet quendam Obertum filium Oberti Aledrami nepotis, & ex matre Estensi progenitum. Equidem fateor nullos amplius inter Aledrami nepotes hujus nominis Principes inveniri; at causa in promptu est, scilicet extinctio, quæ post breve tempus accidit hujus præclarissimæ stirpis. Hunc enim sine liberis decessisse, non unum suadet argumentum, ac illud in primis, quod in hac cum Saonensibus conventionione (falso enim inscriptum fuit a Guichenone privilegium, cum fædus, conventio, pacta post diuturna bella ut verisimile est cum ipsis inita, fuisset appellandum) solus sine ulla liberorum facta mentione contraxerit. Cætera prætereo, illud solum
criticorum examini subjiciens, quod apud Lunig. cod. Ital. dipl. T. II. col. 1639. animadverti; ibi enim ad ann. MCXLVII. refertur documentum, quo Constat*

ingentes Oberti Sagonensis facultates a Simone Comite Hospitali s. Johannis Hierosol. donatas: en illius particulam. J. N. P. & F., & S. S. ann. ab Inc. D. N. J. C. 1147. mense febr. Ind. I. Ego Simon . . . Comes . . . ut Nostro Regi Rogerio prospera tribuat . . . & pro anima piissimæ Regina Adalasia . . . & pro anima Patris mei Ill. & Serenissimi C. Henrici . . . dono . . . hospitali S. Civit. Hierusol. . . omnes res, quas Obertus de Savona possidet (possedit legendum videtur) cuncta penitus, quæ quocumque modo juste tenuit . . . ut . . . possideat in pace . . . omnem substantiam Oberti Sagonensis &c.

MLXXXIX Col. 38. n. 26. Tempus adscriptum huic documento haud congruit. Nam idus junii hoc anno conveniebant cum die mercurii. Quare hic vel erravit Notarius, vel reponendum postmodum idus junii. Memoratur in hac charta Predariolum duobus a civitate Albæ miliaris. Secus viam, quæ Cerretum ducit, vicus adhuc extat nomine Prairolo, in quo adest capella, & beneficium sub titulo s. Mariæ.

MXCIV. Col. 39. n. 28. Autographum hujus, ut in indiculo DD. huic volumini præposito aperui, a C. V. Ab. Carlevario Can. Later. s. Mariæ Novæ Astensis inter plura alia pretiosissima antiqui ævi documenta possidebatur. Putavit autem ipse ad annum 1160 pertinere, ut per literas olim mihi significaverat Cl. Ab. Amedeus Pistonus a Montealto, ac Prior Commendatarius hujus Ecclesiæ S. Joannis. At hæc nulla ratione constare possunt.

Concedo equidem alterum hujus nominis Episcopum sub finem sæculi XII. Cathedræ Aquensi sedisse, ut ex charta col. 45. n. 32., quæ ad ann. 1180. spectat. At eo tempore Præpositus Capituli Aquensis erat Wilhelmus, ut constat ex chartis Archiv. Capituli. Præterea anno 1160. erat Episcopus Aquensis Hugo, minime Ubertus, ut ex diplomate Friderici Henrico Guercio impertito an. 1162. (quod adferam par. 2. S. C. D. col. 330. n. 70.) colligitur. Addo etiam Canonicorum subscriptiones huic donationi appositæ videri similes plane illis, quæ in hujusce sæculi chartis leguntur, ac proinde redolere ætatem remotiorem ab Uberto II. Quid plura? rem in aperto collocat Pedrocha, qui in suo MS. inscripto Solatia Aquen. Ecclesiæ in Tabulario Episcopali asservato ostendit se præ manibus habuisse documentum, cui anni nota adscribebatur. Sic autem scribit. Ubertus Episcopus Aquensis sedebat de anno MXCIV., quo anno certum est tribuisse bona quædam Ecclesiæ s. Johanni, & s. Michaelis, quæ sita est in fundo Lanerii. Fundus autem Lanerii est juxta oppidum Niciæ Palearum hujus diocesis, ut de chartula donationis factæ per eum constat, ex qua sumpta est hujus Episcopi memoria Camillo Beccio ignota. Hisce itaque pro certo habitis illud consequitur hanc ad prima congregationis Mortariensis primordia pertinere, quæ cum diu seorsim stetisset, postmodum teste Pennoto Novariensi fuit anno MCCCCXLIX. adjecta, ac Canonica vix aliquod præterea extat sequioris